









SPECIMEN INAVGVRALE MEDICVM  
DE:  
REVOLVTIONE  
ET EVACVATIONE HVMORVM,  
AC THERAPEUTICIS ROBORANTIA.

EX DECRETO  
IOSI MEDICORVM ORDINIS  
ACADEMIA FRIDERICIANA  
CIVITATIS BRESCIANAE  
OCTUBRIS MDCCLXXIII.  
RITE OPTIMO  
EXAMINI SVBMITTIT  
ALBERT

ACADEMIA  
ARTS  
LITERARUM ET SCIENTIARUM  
FATET




11  
SPECIMEN IN AVGVRALE MEDICVM  
DE  
**RESOLVTIONE** *1773, 72*  
**ET EVACVATIONE HVMORVM,**  
**QVAE OPTIME PER ROBORANTIA** *2*  
**OBTINENTVR,**

---

QVOD  
E DECRETO  
**GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS**  
**IN REGIA FRIDERICIANA**  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
DIE I<sup>mo</sup> OCTOBRIS MDCCCLXXIII.  
RITE OBTINENDO  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**FRIDERICVS CAROLVS ALBERT**  
NORDHVS ANVS.

---

HALAE,  
LITTERIS L. G. FABRI.





DE  
RESOLVTIONE  
ET EVACVATIONE HVMORVM  
QVAE OPTIME PER ROBORANTIA OBTINENTVR.

---

PRAEFATIO.



Inter tantam medicamentorum copiam non alia  
sane arrident mortalibus magis, quam illa,  
quae viribus vel natura deficientibus vel val-  
de diminutis; superaddendum robur atque augmentum  
pollicentur: virium enim actio sanitatis tam conservan-  
dae quam restituendae fundamentum est. Eum vero

A 2

effe-

effectum roborantibus ab arte peritis tribui, neminem latet. Altioris id remediorum genus, quam vulgo reputatur, indaginis esse censeo, aequum itaque non minus quam necessarium duco, ut industriam atque studium in horum contemplatione collocemus. In casu ut dicunt desperato, subitaneam non raro confortantium remediorum efficaciam experimur, quo morbos prae caeteris a laxitate ortos referimus; hac in re experientia convictus de iis, in quantum motus ex debilitate praedicta languentes ac depresso erigunt atque revocant; in hac mea dissertatione inaugurali agere nullus dubito. Resolvendis humoribus ac evacuandis nonnunquam inserviunt roborantia, maiorem elementorum cohaesionem promovendo, quo partium restitui tonum intelligimus. Quod penitus paulo indagabo secundum experientias, quas ex fidelissima *Cell. Prof. GOLDHAGII fautoris praeceptoris que mei aeternum pie colendi manuductione*, per tres annos mihi comparavi, spem fovens certissimam, quemque aequum aestimatorem haec mea conamina aequi bonique esse diiudicaturum.

§. I.

§. I.

**Q**uum solidae C. huius partes ad vitae sanitatisque conservationem motibus gaudeant, iij autem nonnunquam a statu suo naturali ita deflectunt, ut functiones vel decessant vel intendantur, hincque corporis integritas laedatur, facile appareat, remedia esse adhibenda, quae malo huic extirpando dicata sunt. Alia ex hoc coetu debilem et languidum augent motum, atque intendant, alia enormem et nimis auerstam compescunt, ac sedant. Illa roborantia, haec sedativa appellantur. Ad ea tantum, quae perditum solidorum robur refuscitant, me accingam.

§. II.

Medici officium est, sedulo ut inquirat, quoduplicis generis existant morborum causae, quibus cognitis, facile accommodata eligenda sunt remedia. Causarum enim cognitio viam ad gratam eamque brevissimam morbos sanandi methodum pandit. Nonnullae corporis afflictiones a debilitate prosciscuntur, tantum autem abest, ut hacc uni semper eidemque causae originem debeat suam, ut potius causarum a se invicem diversarum, quid? quod sibi e diametro oppositarum sit progenies. Spasmi, immobilitas, hydrops, obstrutio alvina, suppressio aliarum excretionum naturalium etc. non raro ex eodem fonte quidem fluxerunt, intelligo debilitatem, sed illi teneritudine, haec rigiditate, alia effusio laxitate nittitur: Eadem ratione idem morbus modo quantitatem sive qualitatem humorum, modo solidorum tonum depravatum accusat. Omni igitur ingenii acie morborum symptomata perlustrare ac perpendere, perspecta inter se comparare oportet, si felicem instituere medelam cupiamus. Exinde concludimus, aegri salutem a iudicio medici discretivo dependere.

A 3

§. III.

## §. III.

Gravem saepe morbum, ex humorum stagnatione, et vasorum obstruptione ortum, iis profigare conamur remedii, quae humores crassos attenuant et resolvunt, quae nocivos e corpore proscriptibunt: Tantum autem abest ut amissam restituamus integratatem, ut potius aegri statum reddamus peiores. Quum itaque tam tristi effectu excitati accurati perferutemus afflicti conditionem; advertimus tandem, ab ea minimarum particularum fibram constituentium conditione, qua ob minorem inter se invicem cohaesionem, vi minori ultra modum extendi aut dilatari patitur, hinc a solidorum laxitate, morbum hunc sua habere incunabula. Ne iam mireris nos abstinere ab illa curandi methodo et ea propinare remedia quae roborant, tonumque partium naturalem revocant. Hanc enim medicamentorum commutationem, ratio circumstantiarum iubet, et crebra confirmat experientia. Quae quum ita sint, nemini non spectatissimum erit, quantae et utilitatis sint et necessitatis interdum robortantia, non ad obstruktiones solum referandas, et materiam corpori noxiham removendas, sed et iustum quoque firmitatem ei conciliendam, qua ante fruebatur.

## §. IV.

Remedia quibus deficients corporis vires restituntur, roborantium nomine insignimus. Virium autem languescencia, vel in vero eorum decreimento consistit, vel e resistentiarum magnitudine natales ducit finos; hanc respectivam, illam pathologi absolutam vocant: Sic nimia ciborum et potulentorum iniuritatio debilitatem ventriculi respectivam infert, et ex nimis aquoso solidorum glutine absoluta enascitur. Duplex igitur remediiorum roborantium classis stabilitri potest, prout nempe vel absolutae vel respectivae debilitati tollendae inserviunt. Strictiori tamen significata

ficatu roborantia vocantur ea, quae absolute debilitati sunt dicata; haec vel humorum inopia, vel ex immediato virium decremente oritur. Quare roborantia proprie ita dicta, erunt tam ea, quae fluidorum copiam restituunt, quam illa, quae solidorum viribus immediate robur addunt. Priora appellantur nutritia, posteriora vel cohaesione vim, vel alias hac nixas vires respiciunt; haec pro suis effectibus nanciscuntur nomina a), illa strictissimo significatu roborantia nuncupantur. Sequitur ergo, robortibus strictissimo significatu cohaerentiae vim augere.

#### §. V.

Cohesio partium est actio istarum in se invicem, quae fit sine motu, dum sese contingunt; Actio haec a vi partibus elementaribus insita dependet. Omne vero corporum cohesione augmentum duplice nititur fundamento, vel enim augetur numerus punctorum contactus, vel crevit vis insita b)); quidquid horum contingit, cohesione maioris causam nobis exhibet. Vti igitur hac ratione in cunctis corporibus cohesione augmentum obtineri potest, ita istud nostro in corpore ut contingat est necesse. Cohesione enim vis ubique eadem existit, eodem igitur modo operatur. Liquidum est, ea, quae cohaerentiae vim augent vel numero punctorum contactus, vel quantitati particularum corpus constituentium augmentum adferre.

#### §. VI.

a) De discrimine roborantium per volvi meretur Diff. de robortium differentiis in praxi bene attendendis Praeside BÜCHNERO A IOAN. FRIDERICO OPPEN defensa.

b) Non affirmo vim corporis insitam in se consideratam augeri vel imminui posse: Vires enim corporum insitas, quatenus eorum substantiam consti- tuunt immutabiles esse non ignoro. Fit autem virium augmentum si quan- titas particularum corpus componentium augetur, earumque imminutio, si numerus particularum corpus constituentium decrescit.

## §. VI.

Stricissimo igitur significatu roborantia dupli agere modo ex §. V. concipimus, indicata praeprimis ratione laxitati medentur: Haec autem vel ex nimia dilatatione qua fibra elasticitatem perdit, vel ex glutine eius intermedio ita diluto, ut requisita proportio desit, nascitur. Quum vero elasticitas dependeat a vi attractiva, qua fibrae, in quantum dilatae esse restituunt: Clare patet, elasticitate depressa atque deperdita vim attractricem reddi minorem, sed nimia fibrarum distractio elasticitatem minuit, quin tanta interdum occurrit, ut eam plane tollat; hinc quoque vim attractricem producit minorem vel eam destruit. Sique de glutine intermedio nimis diluto verba facere liceat, perpendendum nobis est, quomodo hoc diluatur. Gluten hoc constare ex oleo et aqua experimeta nos docent, et olei vim partes conglutinandi haud facile quis negabit, qui olei naturam experimentis physico- chemicis probatam considerat: Nec forsitan erit, qui aquae negabit eandem vim: dum penitus sit pulvarem gypsi tenuissimum minime cohaerentem, diffabilem, affusa certa aquae copia mutari posse in lapidis duritiem. Nobis tamen haud incognitum est, (dari corpora, quorum durities vel ab aqua, vel oleo, vel utrisque pendent), quae nimia aquae et olei quantitate adhibitas, nullatenus in duram abeunt massam: Sic gypsum liquidi speciem prae se fert, si aqua nimis excedit. Eadem fere ratio in C. h. no obtinet. Quamvis huic usque ignoramus, quamnam proportio inter oleum, aquam, et partes terrestres in corpore nostro requiratur, ut sanitas sit optima, id est ut solida nostra ex gaudent conditione ac structura, qua fluida rite movendo, producent circulationem omnium humorum corpori amicissimam, indeque actio et reactio solida inter et fluida sint aequales. Observationibus tamen educti probe scimus, aquam et oleum fibris nostris, ex quibus

quibus machina humana constat, in iusto maiori copia applicata, corpus nostrum ad obeunda sua munera ineptum reddere. Liquida enim, particulis terreis interposita, cohaerentes eas a se invicem removent, requisitamque partium cohaesionem tollunt, sic solidorum motus imminuntur. hinc functiones corporis integritati accommodatae deprimuntur. Roborantia itaque in limine huius §phi indicata, vi sua leniter adstringente liquida superflua dissipant ac particulas a se invicem remotas coniungunt: Numerus igitur pupularum contactus augetur, elasticitas restituitur, partiumque actio maior fortiorque evadit; quo fit, ut lymphae nutritiae praeparatio eiusque appositi promoveatur atque numerus particularum corpus constituentium augmentum capiat. Roborantia in laxitate adhibita indicationibus allatis satisfacere ex dictis intelligimus.

### §. VII.

Ex roborantium strictissime nobis distorum numero virtute caeteris fere palmam praecepit cortex Peruvianus: Nec mars postremum occupat locum. Cortex praeprimis noster suam exserit efficaciam modo §. VI. descripto in laxitate ex causa quacunque §. VI. orta, fibrillae robore ac motu naturali destitutae liquidorum affluxu extenduntur, humores corpori autem noxii, quum eiici nequeant, colliguntur, aliique nondum depravati stagnant, vasaque ocludunt. En scaturiginem infarcitus hepatis, aliorumque obstructionum, en hydropis somitem. Qum hydropici affectus, viscerum infarcitus nec non materia maligna in corpore retenta, e fibrarum laxitate §. III. originem ducant suam; hisee vitiis chinam medicamentum cohaesione iusto minori convenientissimum proponere nullus dubito: Vi enim nervos roborandi pollet cortex indicatus, actionem ergo muscularum intendit; leni adstrictione fibras laxiores corroborat, tonum restituit, ac motum lenem

B

con-

constrictivum illis inducit, ita ut ad materiam morbificam expellendam et stagnantes humores resolvendos idoneae reddantur. Hoc autem feliciter praestat cortex noster, principio resinoso aromatico oeconomiae animali gratissimo, leniter adstringente, quod mediante menstruo salivali et calore blando solutum in ventriculo et primis viis, ac cum chylo delatum ad sanguinem, illum non modo in mixtione sua firmat, sed et ad angustissimas fibras deductum illas leniter constringit, novumque vigorem ac robur inducit: Omnis enim corroboratio et vigor partium nostrarum, consistit in hoc, ut ad naturalem motum fiant aptae. Ex quibus concludere licet, quamecumque evacuationem ab hoc cortice posse excitari; quid? quod nonunquam accidit, ut non sudor solum, sed et urina (quod Sydenham observavit) copiosissima post usum eius prodeant. Ipsam igitur alvum instar purgantis exercet hoc medicamentum; quando copiosis et pituitosis excrementis intestinis distenta sunt, et fibrae intestinales plus iusto dilatase ad excretionem vitiosorum humorum sese non componere queunt: Cortici salina admixta hunc effectum accelerant. Deinde chinæ usu humorum visciditatem corrigi, viasque obstructas aperiri afferimus: Vim autem hanc non ita ei tribuimus, ut ipsam in succos immediate agendo exerceri putemus, sed solidorum potius robur excitando, augendoque. Et sane ipsos nostros succos nimis lento debilique motu solidorum lentescere, viscidosque redi, innumera experimenta confirmant, neque adeo probatione indigere videtur haec thesis, quod per fortē celeremque eorum motum resolvantur humores, discutiantur, obstruktionesque tollantur.

## §. VIII.

Ad propriam tandem progredior experientiam quae dicta confirmabit. Quinquaginta annorum vir herniosus, laxioris corporis habitus, iustum observans vitae regimen, tempore quolibet aestivo vehementiorem purpuram scorbuticam perpessus, tandem febre tertiana duplicata continua corripiebatur, cuius paroxysmi circa noctem redeuntes exiguae formabant remissiones, et quoniam anni aestate fragrantissima senem vexabat, largissimi eam sudores comitabantur, qui, prout tamen plerumque accidit, exantheme purpuraceum nec ullum excitabant. Sub morbi initium non alios, nisi cruciatus, ex huius febris essentia proficentes, accusabat aeger; medicamentis, quibus utebatur, ex absorbentium nitrosum, et bezoardicorum numero desuntis, adiunxit potum diluentem, interposito medicamento, alvum ducente. Praeterlapsis sex canticis septimanis tantum aberat ut infirmus suam recuperaret integritatem ut potius perdurante febris vehementia magis magisque debilitatur: Pedes enim ad abdomen usque intumescebant, manus nec non facies flavidine tincta, aliquali tumore afficiebantur. Appetitus prostratio vix aliquid iuseculi, aut intritae e vino delibare concedebat: Rumen continui, et alvi aderat pigritia; Praeterea aeger de crebriori anxietatum exacerbatione, de muco tenaci fauces obssidente, quo et lingua erat obdueta, sibi autem excretionem recusante, conquerebatur: Nec urina, quae flammæ et turbida excernebatur, iustum depositum sedimentum. Quapropter in eo aegri statu longe miserrimo, *Cell. Professoris* supra memorati exposcebatur auxilium, qui, ut aegrotum adrem genuinam morbi conditionem et causam exploraturus, mihi demandavit. Perspectis itaque mali huius circumstantiis et cognita eius seaturigine, statim porrigebatur sal mirabile glauberi in aqua quadam

carminativa solutum, quod alvum quater solvebat: Subsequenti autem die remissionis tempore pulveris corticis chiae unciam dimidiam consumisit aeger; quo factum est, ut vesperi rediens paroxysmus frigore sat notabili, multo mitiori tamen aestu et anxietate quam paroxysmi praecedentes, fuerit stipatus: Quo in statu potio analeptica acidula propinabatur. Aestus solito citius decresebat, eoque igitur remittente, usus corticis peruviani continuatus ita febrem diminuit, ut loco consueti, quem expectavimus, paroxysmi, nonnisi tensivus in dorso dolor, vix per horae quadrantem durans, tempore vespertino sentiebat, quem aequalis totius corporis sudor, aegrotum refocillans magis, quam debilitans, excipiebat. Vrina iam non rubicunda sed turbida excrenebatur, quae post aliquot horas depositus sedimentum. Primo viduo quo cortice utebatur infirmus, duas de die alvi defeciones et multorum flatuum explosiones enarrabat, de rusticis vix amplius conquerebatur, magnam materiae mucosae copiam per simpli- cem cereatum exspuebat: Tum praeter elixirium viscerale aquosum, corticis Peruviani adhuc unciam intra quatuor dierum spatum deglatiebat. Alvinae interca excretiones succedebant, urina sensim crassio carebat sedimento, tandemque modo nubem ad ima sidentem prodebat; Lingua evadet purior, color vultus hilarior ac firmior et appetitus in dies quidem augebatur, sed iucundissimo illo naturali somno needum utebatur aeger, neque pedum tumor subsidebat, neque corpori debitum addebatur robur. Quapropter illi chiae uncia dabatur adhuc una, cuius usu salutares producebantur mutationes: Vires enim magis magisque augebantur, tota corporis superficies exanthematis scorbutico-purpuraceis obducta cernebatur: Quo facto, et pedum tumor post aliquod dies detumuit, et naturalis somnus restituebatur.

De

De hydrope et viscerum infarctu quibus sola china medebatur plures observationes possem huic subiungere, nisi sufficere hanc putarem.

§. IX.

Ne experientia tantum mea, thesin allatam probare videar,  
WERLHOFII, scriptoris laudatissimi et fide digni, verba apponam.  
„In observationibus suis de febb. pag. 56. sequentia proponit: „Mul-  
tos vidi ex aliorum impotentiorum usu remediorum, interdum etiam  
„methodico, cachecticos et hydropicos et tympaniticos quidem plerumque  
„immedicabiles; nullum ex genuina corticis iunctandi methodo. pag. 58.  
„In promptu mibi sunt exempla propriae experientiae complura, ubi  
„cachecticos et hydrope ex imperfecta qualibet febris cura laborantes  
„iuncta methodo, et corticis imprimis assiduo usu feliciter sanavi.  
„pag. 59. Quarta nunc agitur hebdomas, quod medicum me adscivit  
„mulier agrestis nondum quadragenaria, quae a biennio quartanam  
„tolleravit, et ab eo fere tempore afflita fuit mensium obstructione  
„et dysuria. Ingentem in molle asciticam abdomen sensim intumu-  
„erat. Crura et femora cum dorso aqua distendebantur, turgebat ipsa fa-  
„cies, incessum fere prohibebant moles corporis, respiratio anhelosa et  
„lastitudo, typum febris servabat immota, et medicastrorum quos passim  
„misera consuluit σκανδαλον plane manebant hydrops et quartana. Mirum  
„in modum imminentia est tumor, abdomine tandem non penitus subsi-  
„dente et femoribus valde emollitis, posteaquam ter mane ante pa-  
„roxyymum pomeridianum, aquas hydrolicas eo die maxime turgentes,  
„aqua benedictae Rulandi uncia una cum dimidia ανω και καττω eu-  
„cuavimus, erumpente etiam a tertio denum paroxysmo sudore, qui

„antea semper suppressus manserat, dum materia per singulos paroxys-  
 „mos commota quidem fuit, sed in hydropis augmentum cessit. Ab eo  
 „tempore usq; est aegra electuari e cortice peruviano, radice lbe-  
 „lenii, sale ammoniaco, viriolo martis et roob iuniperi, eo cum  
 „effectu, ut febris fugata sit, facie vividus redeat color, respiratio li-  
 „bera evaserit, urina limpidor, et longe potu assūmio copiosior pro-  
 „fluat, abdomen plane detumuerit, femora et crura in dies magis de-  
 „tumescant, molimina mensium in dorso et abdōmine sentiantur, neque  
 „dubitamus, quin continuato et repetito ad morem nostrum remedio, in-  
 „tegre et constanter convaletura sit. Quod in tot aliis similiter laboran-  
 „tibus contigit.“ Ex his verbis luculenter intelligimus, corticem peruv-  
 ianum ceu ingrediens primarium in majori dosi quam caeteri esse  
 praescriptum. Docet et WERLHOFIVS in tract. de imitanda febris laude  
 pag. 42. corticem raborando viscera et sic attenuando humores, crises  
 promovere. Quod vero non solum ad hydropem cum febre vel a  
 febre prospic̄t cortex peruviana, sed et ad alia oedemata hydropica vel  
 hydropem minitantia, appetet ex medicorum candidissimi et practici ve-  
 terani GUALTERI HARRIS sermone „in Diss. medico-chirurgicis pag. 152.  
 „Denique ut hanc rem finiam, neglectis aliquando omnibus topicis misis-  
 „que evacuationibus uistatis, ego tumores pedum oedematosos molis  
 „prodigiosae feliciter curavi solis naturam corroborantibus, et quo robore  
 „partibus principibus restituto, imbecillitas illa partium inferiorum intra  
 „septimanam unam et alteram penitus evanuit, pedesque praegrandes  
 „pristinam suam ac naturalem formam recuperarunt: Nempe id factum  
 „fuit croco martis aperitivo cum cortice peruviano bis in die exhibito etc.“  
 Haec cum ita sint, de corticis nostri efficacia et evacuandi et resol-  
 vendi in morbis a laxitate ortis nec ullum censeo esse dubitaturum.

§. X.

## §. X.

Usum corticis peruviani tam egregium et in maligna materia e corpore eliminanda et in humoribus attenuandis et resolvendis, demonstratum esse existimo. Quum vero magni adhuc refert, quo ordine et qua forma usurpetur cortex, aliqua de modo eum exhibendi commemorare iuvabit. Ordinem chiae propinrandae si respiciam, plerisque in casibus ante eius exhibitionem corpus ut praeparetur, necessarium iudico; aliam vero non suadeo praeparationem nisi eam, quae secundum circumstantiarum rationem, vel per laxantia sive purgantia, vel per emetica absolvitur. Profundit haec si colluvie abundant primae viae, quae cognoscitur ex visu, morbis, symptomatibusque praegressis, nausea, vomitu, ructu, sordibus linguae, gutturis, palati, et oris foetore. Si de dosi huius medicamenti cogitem, aliquam generalem omnibus convenientem determinare non audeo, nisi valde lubrica forte sit: Haec enim cum ex viribus medicamenti plus minusve praeparati, tum morbi ingenio, magnitudine, pertinacia, et nisi recidivo, nec non ex aegri aetate caeteraque eius constitutione est diiudicanda. Quod formam eum exhibendi spectat, plures praeparationes et formulae sunt excogitatae: Efficacissimus tamen evadit, in substantia, quod dicunt, propinatus. Quum autem aegris non raro pulveris qualicunque vehiculo assunti usus, taedio sit et fastidio, alia gratiora admiscere remedia convenit, non saporis tantum, sed et coloris gratia, ut illi mutentur, et infectis aegris ingeri queant. Ut tamen palato consulatur, optime sumitur in forma pilulari, si nimirum cum mucilagine tragacanthi siant pilulae,

vel


vel in forma boli aut electuarii, miscendo illum cum roob quodam et syrupo acidulo; potest etiam exhiberi eum aqua v. g. menthae addita, ad gratiam conciliandam, sufficienti quantitate iulapii rofarum,

§. XI.

Atque haec sunt quae in praesentiarum exponere placuit, eum maxime in finem, quo omnibus constaret, chinae corticem in hydrope, in viscerum infarctibus aliisque morbis e laxitate ortis totum et efficax esse remedium. Qui cuncta in hac dissertatione pertractata aequo perpendet animo, egregiam corticis peruviani qualitatem satis superque cognoscet. Itaque felix qui poterit rerum cognoscere causas.








Halle, Diss., 1773-74  
X 230 9444



**Farbkarte #13**



SPECIMEN IN AVGVRALE MEDICVM  
DE  
**RESOLVTIONE** *1773, 72*  
**ET EVACVATIONE HVMORVM,**  
**QVAE OPTIME PER ROBORANTIA** *2*  
**OBTINENTVR,**

QVOD  
E DECRETO  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRO GRADV DOCTORIS  
DIE I<sup>mo</sup> OCTOBRIS MDCCCLXXIII.  
RITE OBTINENDO  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**FRIDERICVS CAROLVS ALBERT**  
NORDHVSANVS.

HALAE,

LITTERIS L. G. FABRI.